

Anno
M.

elata manu populum educit, qui per alveum *maris rubri* siccustransivit. Rex insequens cum exercitu fluctibus obrutus fuit. Hinc in *deserto* quadraginta annos duxit rexitque populum. Leges à Deo acceptas ei promulgavit, morales, ceremoniales & judiciales. Ecclesiam & politiam constituit. Murmure & contumacia rebellium multum vexatus est. Quibus, aliisque peccatis populus gravem Dei iram in se concitavit, adeò ut viri omnes, qui ex *Ægypto* egressi erant, duobus exceptis, in deserto variis pœnis consumti fuerint. Sed & bella *Josua* Duce, gesta sunt contra infestos *Israëli* populos, & regna trans *Jordanem* occupata. Quæ postquam *Moses* inter duas tribus cum dimidia distribuit, delibatâ etiam oculis *Cananæâ* ex monte *Nebo*, ibi moritur, & ab ipso Deo sepelitur.

2474

Josua successus *Mosi*, & voce divina animatus populum per *Jordanem* in *Cananæam* deduxit, repetivitque intermissum circumcisionis usum. Muros *Jericho* solo tubæ clangore dejecit. *Hajum* ex insidiis cepit. *Gibeonitas* in servitutem redegit. Reges *Cananææ* foederatos interneccione delevit non sine miraculo. Ipsam regionem *Israëli* promissam occupavit, & inter reliquas Tribus divisit, functusque munere optimi Principis cum gloria decessit.

2512.

Othoniel populum ex connubiis confortioque alienigenorum extremè corruptum, post seriam pœnitentiam, vindicavit à tyrannide

rannide